... phori: De plica quaestio.

C

P

Pr

In o

CHRISTOPHORI NAYMAN


PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS,

DE PLICA,

Pro loco inter Doctores Medicinæ obtinendo, in alma Vniuersitate Cracouiensi, ad disputandum proposita

QVÆSTIO.

CRACOVIÆ,
In officina Andreæ Petricouij, Typographi Regij.
Anno Domini, 1610.



Pace alij ſunt clari, alius ſplendeſcit in armis,
Tu ciuis Patriæ, Marte, togaq́ bonus.
AEquas maiores, quorum hæc monumenta decoris,
Vt Patriæ ſtudio, ſic pietate pari.

Illustriss: ac Magnifico Domino,

D. NICOLAO ZEBRZYDOWSKI

De Zebrzydowice,

PALATINO ET GENERALI CAPITANEO CRACOVIEN. &c.

VEtus est, ILLVSTRISSIME DOMINE, ut quæ domus, sub patroni alicuius tutelam semel cesserit, eidem libenter ad omnem occasionem voluntatem promptam, obsequium & officium, in partibus singulis insinuet, declaretq;. Cùm itaq; & auunculus meus, & frater germanus, Amplitudinis tuæ patrocinium elegerint, & eius opem proficuam senserint: decuit & me illorum vestigiis inhærentem, aliquem modum quærere, per quem in gratiam tuæ Amplitudinis me possem insinuare. Quod dum cogito, non temere me facturum arbitratus sum, si Quæstionem, quam, re-

sponsurus pro loco obtinendo inter Doctores Medicinæ Academiæ Crac. paraui; tibi nostro, & Academiæ singulari patrono dedicarē: vt ea tota materia, quæ ex meo ingenio humilis est, valorem ex tui nominis splendore accipiat. Tametsi verò me non lateat, summam auctoritatem cum summa animi magnitudine simul incedere, vt propterea viri Principes cauerent, ne suū nomen præfigeretur, nisi illustri operi, & à laudabili artifice: subinde verendum mihi fuerat, ne tu hac dignitate & auctoritate Regni Senator, rudi Quæstiunculæ meæ, tuum illustrißimum præfigi nomen, submolestè ferres: tamen cùm tuam præstantem singularemq́; naturam, & in summa dignitate animi moderationem respicio, confido & huic meæ operæ aliquem apud te locum futurum. Nec in multum epistolam meam diffundam, considerans potiùs, quid aures tuæ pati poßint, quàm quod tuis amplißimis debeatur virtutibus, quæ vigent, vigebuntq́; memoria seculorum omnium. Quin potiùs imitabor Ægyptios, qui Deos inarticulata voce colere solebant, quò plurima cupientes, precandi facultate sese destitui

signifi-

significarent. Accipe Illustriss: Heros, exiguum hoc munus ea benignitate, qua tui studiosorum soles, non rem sed dantis attendens animum, nec alienum à tua dignitate cense, Quæstionem hanc, sub tuo patrocinio, tuisq; auspiciis in publicum prodire, & me quoq; ipsum, tuo fauore, & benignitate complecti velis.

Crac: xiij. Febr. M D C X.

Illustriss: Cel: V. deditissimus

D. Christophorus Nayman.

AD LECTOREM.

CVM ea, quæ piæ memoriæ Excell: vir Hercules Saxonia, celeberrimus olim in Patauina Academia Medicinæ Professor, præceptor meus, de Plica prodidit, probabiliter à quibusdam in dubium vocari cognouissem; iudiciorum seueritate non deterritus, quicquid illud periculi est (post septenne meum in Italicis Academijs Medicinæ studium) in honore præceptoris tuendo, eam ipsam materiam publicè defendendo subire, & sustinere pro virili decreui. Tum verò cùm præstantissimus Medicorum Celsus scribat, nulla causa magis Rationales Medicos Empiricis præstare, quàm quòd nouis etiam morbis opem ferre possint: ideò Clariss: D. Doctorum iudicio, morbum, qui populares nostros miserrimè affligit, proponere volui, vt illi pro rationalium officio morbi natura penitiùs perspecta, tandem auxiliatrices manus infirmis porrigant. Vale & faue bonis conatibus, bone & beneuole
Lector.

QVÆ-

QVÆSTIO.

V. Pilorum inuiſcatio, ab humore viſcido facta, noſtris *Gośćiec* dicta, vniuerſi, & virulentiæ ſufficienti purgatione, itemq́; virulentiæ alteratione & ſymptomatum occurſu, rectè curari poſſit, nec ne?

Concluſio I.

Pilorum inuiſcatio, vt & diuerſorum morborum ac ſymptomatum affectionis huius ſyndrome, proprietatis cuiuſdam occultæ, omnino maleficæ, in ſubſtantia impetum faciente reſidentis, à lue venerea, calore natiuo imminuto, externo aucto, mediatè & diſpoſitiuè cauſantibus, effectus eſt.

COROLLARIA.

1. *Plica, affectus non Sporadicus, non Endemius, ſed Epidemicus.*

2. Plicæ

2. *Plica malignus morbus, non tamen adeò vt ſpem ſalutis adimat.*

3. *Plicæ, affectus communis venenatô, tres ſunt mediatæ cauſæ. +Aëris humida conſtitutio, lues Venerea, & vulgaris viuendi ratio: hæc principalior cauſa, non ſolum id, quòd communis ſit, efficit: verùmetiã propriam ac ſpecificã tribuit ſibi naturam, lui Gallicæ proportione correſpondentem, quam propria ac ſpecifica comitantur ſymptomata.*

+ ab anno 1528.

4. *Venenum Plicam ſpecificans, ſiue quippiam aliud ſimile veneno morſu inflicto, intra corpus generatur.*

5. *Præſentis veneni ſubiectum impetum faciens, primario vapor eſt vnctuoſus, & pinguis; quod venenum, fuligini, deinde fumo, & ſimili auræ vaganti, communicatur.*

6. *Loci affecti in Plica rationem habent, articulationes, perioſtia, tendinoſæ neruoſæq; partes, vertebrarum ligamenta, cerebri meninges, pericranium, & cutis capitis.*

7. *Veneni præſentis cauſa effectiua, qua proximè poſita, veneni forma ponatur, ignota*

eſt:

est: mediatæ, materiamq́ recepturam formam disponentes, sunt, lues Venerea, calor natiuus diminutus, & extraneus auctus.

Conclusio II.

A corporis purgatione, siue illud Cacochimum siue Plethoricum sit, post inuiscationem, curatio incipienda.

COROLLARIA.

1. *Ante Plicam, sectione venæ, vel Pharmaco, ab extra ad intro, mala qualitas non retrahatur, quæ, doloribus, & sæuis conuulsionibus patienti molesta, cura Medici in tricas abiens, pædore potiùs & pediculatione molestet.*
2. *Venenum, cùm fuerit in pilis stabulatum, tum purgetur corpus, cui negotio Deleteria inepta.*
3. *Deleteriis si vti acciderit, in quantitate modica, & optimè correctis id fiat, vel Benedictis aluus soluatur.*

 4. Beni-

4. *Benignorum iterata exhibitio, prout purgandi excrementi copia indicabit, præscribetur.*

5. *Pituitam, vel alium humorem educentibus, quæ adustum educant, admiscenda.*

6. *Plenitudine indicante, ætate & viribus consentientibus, apparente Plica, secetur vena.*

7. *Caput mitioribus tractetur, Nasariis vel Gargarismis, cum cautela, quam communiter Practicantes præscribunt.*

Conclusio III.

Virulentiæ ab intro ad extra educendæ, in curatione præsenti, principale intentum sit.

COROLLARIA.

1. *Quæ inter naturam & naturam, sympathia aliqua venenum alliciunt, generica non specifica eligenda.*

2. *Vesicatoria sine Cantharidibus, magnam hîc prærogatiuam habent.*

3. *Psilothri vsus, modo bonæ rationi respondeat experientia, non prohibendus.*

4. *Per ambitum euacuantia, siue id per sudo-*

rem, siue per exhalationem insensibilem faciant, accommoda.

5. *Caustica & attrahentia omnino Deleteria, huic veneno attrahendo vtilia, quæ, an quà venena, similitudine substantiæ, vel manifestè, vt vacuo attrahant: Problema esto.*
6. *Deleteria, quæ collo appensa, vel cordis regioni apposita, conferre aliquid dicuntur, admittenda.*
7. *Calorem habentia moderatum, in pingui & oleosa substantia repositum, similitudine materiæ attrahentia, apponantur.*

Conclusio IIII.

Nō solùm præsentia veneni, sed & mala qualitas, suum habeat contrarium, & proximum, post veneni euacuationem, pręstantiæ locum vendicet.

COROLLARIA.

1. *Alexipharmacis Diaphoreticis vtendum.*
2. *Lapis Bezoar, pro Alexipharmaco & Diaphoretico præstantissimo, admittendus.*

3. *Monocerotem, si quis habere poßit, simplici ceruino cornu, non postponat, in defectu, in liquore aliquo sudorifico, hoc propinari poterit.*

4. *Alexipharmacorum propriorum, ad præsens, nullus vsus.*

5. *Experientia, vel Analogismo, non Methodo, hæc quærantur.*

6. *Medicamento frigidum alteranti, quæ calorem oppugnent, admiscenda.*

7. *In alteratione ad frigidum, temperamenti natiui, veneni, simul & semel, habenda ratio.*

Conclusio V.

Symptomata, cùm patientem vrgent, Medicum, ad sibi occurrendum, etiam vrgeant, & ab his curatio incipienda; idq; tum principale in curatione sit.

COROLLARIA.

1. *In dolore mitigando, non causam respicientibus, neq; stupefactoriis, sed verè Anodinis, insistendum.*

Mem-

2. Membrum contortum molescat, materia conuulsionis causa attenuetur, ac tandem digeratur.

3. Dolores & conuulsiones, si mitioribus medicamentis demulceri et tolli non poßint, Hydrargiri inunctio proderit.

4. Hydrargiri morosæ operationi, vt ignoscat corpus, robustum sit.

5. Antequam inungatur, purgetur corpus, purgante, vel secta vena.

6. Ante inunctionem, viscera roborantibus, post, Alexipharmacis vtendum.

7. Gibbi, prognosticis relinquendi.

EX NATVRALI PHILOSOPHIA.

APPENDIX I.

Quæ pilorum materialis Causa?

Conclusio.

Pili materia viscida, subpinguis, lenta, & ferè eadem quæ seminis.

COROLLARIA.

1. *Hæc fuit sententia Aristotelis.*
2. *An Galeni? Problema esto.*

APPENDIX II.

Quæ in Plica pediculorum materia?

Conclusio.

Materia pediculorum, humiditas certa, subputrescens, moderatæ consistentiæ.

COROLLARIA.

1. *Sic sensit Aristoteles.*

2. *Aristotelis illud* (de hist: animalium vj. 31. pediculi ex carne.) *ad locum, non ad materiam referrendum.*

APPENDIX III.

An Hepar spiritus naturalis fons, & facultatis naturalis origo?

Conclusio.

Ab Hepate humorum tantummodò officina, nulla virtus naturalis partibus communicatur.

COROLLARIA.

1. *Particulares virtutes, ad nutritionem necessariò requisitæ, ut trahens, retinens, alterans, expellens, nequaquam aliunde influunt, sed omnes suis membris insitæ.*
2. *Nulla sanguinis efficiens virtus, ab hepate in venas effluit.*
3. *Nutritio & Acretio, operationes facultatis naturalis principes, nullo ab extra veniente spiritu naturali, fiunt.*

Disputabitur publicè in florentissimo Cracouiensi Gymnasio, sub felicibus auspiciis Rñdi & Magnifici Domini ADAMI Falęcki, S. Theologiæ Doctoris & Professoris, Protonotarij Apostolici, Præpositi Omnium Sanctorum, Decani S. Floriani, & Vniuersitatis Cracouieñ Generalis Rectoris dignissimi & vigilantissimi. Anno Domini, M D C X. Die XXIII. Martii. Hora XII.